

De peculio religiosorum.

Dissertatio canonico-historica.

Auctore P. Lamberto Kober, O. Cist.

(Continuatio ad fasc. I. 1907, pg. 3—30.)

Pars tertia.

Caput VI.

De peculio monastico in Concilio Tridentino.

Considerata aetate ante Concilium Tridentinum iam in ipsius, quod agredientibus nobis solvendam peculii quaestionem totius materiae suppeditabat divisionem, Concilii ambitu collocare debemus inquisitionem, cum illud sicut in plerisque quaestionibus iuris, ita et in causa paupertatis monasticae summi momenti esse nemo sit qui neget. Quae hucusque de peculio religiosorum valuerint, vidimus: num Concilium Tridentinum, quod tam assidue reformandae universae incubuit disciplinae ecclesiasticae, etiam in nostra re novum ius condidit? num peculium monachorum prohibuit? Ne petieris, ut ad hanc respondens quis quaestionem simpliciter affirmet vel neget, cum hoc inde ab illo tempore quaestionem reddiderit obscurissimam et intricatam et longissimam ex utraque parte stare fecerit seriem doctorum.¹⁾

Ex auctoribus, ut praecipui tantum recenseantur, etiam post Concilium Tridentinum licere peculium simpliciter affirmant: Navarrus,²⁾ Pellizarius,³⁾ Leuren,⁴⁾ Engel.⁵⁾ — Econtra, in quam partem ex recentissimis abire videtur Vermeersch,⁶⁾ per hoc Concilium quodvis peculium abrogatum esse pauci simpliciter contendunt: Van Espen,⁷⁾ Thomassinus,⁸⁾ Concina,⁹⁾ Fagnanus.¹⁰⁾ Qui cum principium statuatur „nec consuetudo etiam immemorabilis excusat monachum a proprietate, nam cum adversatur iuri naturali

¹⁾ cf. optime Barbosa, Collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum Lugduni 1672, p. 374 ss.

²⁾ Comment 2. de Reg n. 15 ss.

³⁾ Pellizarius S. J., Manuale regularium, 2 ti. Lugduni 1665, t. I. tract. IV. C. II. Qu. II. et tract. VI, C. XIV. Qu. I.

⁴⁾ Leurenus S. J. Forum ecclesiasticum seu Jus Canonicum Universum. Moguntiae 1717, L. III. tit. 35. q. 926.

⁵⁾ Engel O. S. B., Collegium universi iuris canonici. Salisburgi 1739, L. III. tit 35. n. 2.

⁶⁾ o. c. I, p. 165, 2 b.

⁷⁾ Dissertatio de peculiaritate in religione: Opera omnia P. IV. p. 4 § 3 et p. 8 Corol.

⁸⁾ P. I. L. III. c. XXI. n. IX.

⁹⁾ ex professo per totum librum.

¹⁰⁾ Fagnanus, Commentaria in tertium librum Decretalium. Venetiis 1764, t. II. in III. L. Decr. p. 460 ss.

et divino . . non consuetudo, sed corruptela dicenda est“ et posito hoc principio nulla facta distinctione velis remisque contra peculium invehatur, ad eandem conclusionem necesse est perveniant, quicumque et ipsi nulla facta distinctione quodvis peculium per hoc Concilium asserunt esse damnatum. Inevitabilis, cuius ex professo hac de re tractans Concina confusionis exhibet speciemem, hunc procedendi modum satis iudicat. — Proinde alii media quadam via praeferunt incedere. Ex antiquis Suarez¹⁾ bene distinxit inter peculium necessarium et superfluum, pariter post ipsum Reiffenstuel²⁾ et Ballerini;³⁾ Schmalzgrueber tantum „verius, inquit, est eo sacrae synodi decreto constitutum esse ius novum“,⁴⁾ et S. Alphonso⁵⁾ eadem sententia solum „probabilior“ esse videtur. Similiter auctores recentiores, difficultatum, quas non remonent, rationem habentes, non iam simpliciter, sed probabilius tantum dicunt Concilium Tridentinum peculium monasticum prohibuisse, sic Bouix,⁶⁾ Piat,⁷⁾ Biederlack,⁸⁾ Wernz.⁹⁾

Lustratis auctorum sententiis iam thesis instar hic affirmatur: Decreto Concilii Tridentini sess. XXV de regularibus c. 2 non adversatur illud, quod diximus peculium compatibile.

Quaestionis nimirum, quale peculium decreto Concilii prohibitum sit, „decisio pendet ex illa, an Tridentinum cit. loc. ius novum ponat an vero antiquum confirmet et declaret, quae quippe quaestio est inter doctores non levis.“¹⁰⁾ Ex antiquis Navarrus summopere ostendere conatur Concilium Tridentinum solum confirmasse ius antiquum, eius tamen argumenta, quae repetuntur ab iis, qui idem docent, sunt quaesita neque coniecturarum valorem excedunt; ex recentibus Scherer ex ipsis verbis Concilii idem putat colligi posse: „Sehr oft läßt es sich nicht feststellen, ob die Synoden die reformatio s. str., die Verschärfung der Disziplin, oder s. lat., die Hebung von Mißbräuchen, im Auge hatten; vgl. Trid. 25, de reg. pr. „reformationem prosequens“, c. 21 ist von revocare ad congruam vitae monasticae disciplinam

¹⁾ l. c. n. 10.

²⁾ Reiffenstuel O. M., Jus canonicum universum. Monachii 1706, L. III. tit. 35. p. 876 n. 16.

³⁾ IV. p. 65.

⁴⁾ t. III. P. IV. tit. 35. n. 14.

⁵⁾ L. IV. c. 1. n. 15.

⁶⁾ II. q. III. n. III.

⁷⁾ I. p. 226 E.

⁸⁾ l. c. n. 51, 4 c.

⁹⁾ III. p. 704.

¹⁰⁾ Donatus Laynensis O. P., Rerum Regularium praxis resolutoria, tom. 4. Colon. Agrippi. 1728, t. IV. p. 189 n. 1.

die Rede, erst für die Zukunft ist Besserung zu erwarten . . .¹⁾ Iam quod hic suspicatur, ille probare conatur, ex capite a nemine adhuc considerato certo nobis constare videtur, ex ipsa nempe historia Concilii Tridentini vel potius ex indole eiusdem sessionis XXV. Etenim Pio IV ex gravi morbo laboranti nihil magis curae erat, quam ut eo adhuc vivo Concilium finiretur. Proinde die 21 decembris 1563 epistolam ad legatos suos dedit, in qua „monebat, quam grave periculum immineret, ne Synodo statim non absoluta Oratores ac Praesules Germaniae et Galliae discederent, unde plurimum auctoritatis ac dignitatis illi subtraheretur. Idcirco eos exstimulabat, ut curarent, ne unicam quidem horam praescriptum sessioni tempus protraherent, quin ut potius coartarent. Quodsi tam brevi spatio confici non potuissent ea omnia, quae habebant in animo legati, veluti de Imaginibus, de Purgatorio, de correctione Regularium ac de similibus, consilium dabat, ut Patres illa reponerent in sanctionibus aliarum synodorum et in constitutionibus antiquis; cum sibi maius Dei obsequium et Christianae rei publicae bonum videretur, si ea concluderentur, quae absolvi possent assistentibus Oratoribus quam alia quaecumque ultra haec, ea luce deficiente adeoque Concilio veluti eclipsim patiente.“²⁾ Ex voluntate igitur Pontificis decreta illa sessionis XXV de regularibus sunt confirmationes iuris antiqui; quia vero ex iure antiquo peculium compatibile de lege licitum erat, saltem quamdiu ipsa verba decreti id non exigunt, nequit ipsum per Concilium Tridentinum dici esse prohibitum.

Sed iam ad ipsum decretum, quod, priusquam assertio nostra ex eo probetur, hoc loco prodeat considerandum. „Nemini igitur Regularium, ita Patres Concilii, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere: sed statim ea superiori tradantur conventuique incorporentur [1]. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amovibiles pertineat [2]. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppelles statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur [3]. Quodsi quis aliter quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus

¹⁾ IV. B. II. Cap. IX. n. 116.

²⁾ Pallavicini S. J., Vera Oecumenici Concilii Tridentini Historia, latine reddita a P. J. B. Giattino S. J. Col. Agripp. 1719, P. III. p. 297 n. 2.

sit, atque etiam iuxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur [4].¹⁾

Iamvero hoc decreto non prohiberi peculium compatibile colligitur principaliter ex verbis Concilii in se inspectis. Considerans nimirum decreti textum facile quatuor in eo partes distinguet, ex quibus prima de bonis mobilibus et immobilibus generatim loquitur, secunda de bonis immobilibus, tertia de mobilibus, quarta poenam tantum continet transgredientibus legem inflictam, quae proinde pars hic non attenditur.

Atqui in prima parte prohiberi tantum peculium incompatible patet primo ex eo, quod Concilium praecipit, ut haec bona conventui incorporentur, peculium vero compatibile hanc incorporationem formaliter exigit et supponit. Quod iam Lessius urgebat scribens: „Concilium loqui videtur de eis bonis, quae nondum erant incorporata monasterio aut sine iusta licentia superioris a religiosis obtinebantur: nam immediate post tantum vetat, ne superiores concedant stabilia, nulla facta mentione mobilium.“²⁾ Unica deinde, quam verba parant „etiam nomine conventus,“ difficultas nulla est. Nam si haec verba idem sonarent ac „cum licentia superioris,“ „dicendum foret, ita Ballerini, vetuisse Concilium, ne religiosus etiam bona mobilia quaeque (haec enim quoque nominantur) teneat cum licentia superioris: idcirco nec suppellectilem cubiculi tenere licebit cum praelati licentia: quod qui fieri potest? Nonne, auctore ipso Concilio, superiores permittere possunt subditis usum mobilium? Nec puto aliquem religiosum, cum quid tenet ad usum ex licentia superioris, dicere se id tenere nomine conventus, etsi id teneat, quod est conventus.“³⁾ Similiter Bouix: „Responderi potest prohiberi quidem, ne religiosus peculium apud se habeat, et iniungi, ut ad superiorem deferatur, non autem, ne habeat aliquid apud superiorem depositum.“⁴⁾ Verus proinde horum verborum sensus videtur esse hic, quem ita exprimit Ballerini: „Censeo voluisse Concilium ea formula excludere praetextum eorum, qui bona tenerent apud se absque licentia superioris, sed ut negarent se illa tenere ut propria, dicerent se tenere nomine conventus, ipsimet sua auctoritate se veluti administratores bonorum conventus constituentes.“⁵⁾ Sed et ipsum Concilium bene distinguit inter illicita et licita peculia, secundam et tertiam partem sibi opponens. Quid vero in

¹⁾ Richter-Schulte, *Canones et Decreta Concilii Tridentini*. Lipsiae 1853. p. 394.

²⁾ Lessius S. J., *De iustitia et iure ceterisque virtutibus cardinalibus* l. IV. Antverpiae 1612, L. II. Cap. 4. n. 34.

³⁾ IV. n. 116.

⁴⁾ l. c. qu. III. n. IV.

⁵⁾ IV. n. 116.

illa prae oculis habuerit, ex iis, quae supra diximus, facile colligitur: interdixit siquidem illum modum, quo religiosi haud raro pretii donatione prioratum ruralium seu oboedientiarum administratores constituebantur, quibus ad dies vitae in suum lucrum utebantur, reiecit degeneres illas conductiones, quibus monachi veri proprietarii evaserant.

Peculii vero compatibilis licitas ex tertia parte clare cognoscitur. Etenim „circa bona mobilia, ita rursus Ballerini, puta pecuniam, haec solum decernit Synodus: ut superiores permittant subditis usum mobilium, ita ut horum suppellex congruat statui paupertatis, nihil habeant superflui, et nihil, quod necessarium sit, desit. Atqui id profecto contingit in vita communi: sed et habere locum potest, si singulis annis ex communi aerario a superiore detur subditis tantum pecuniae, quantum eorum omnibus veris necessitatibus opus est. Ergo nequeunt haec dici interdicta a Synodo.“¹⁾

Inspecto igitur textu decreti Tridentini dicendum est prohibuisse Concilium peculium incompatible, pro cuius licitate hucusque saltem ad consuetudinem provocari poterat, ostendi tamen non posse interdictum esse etiam peculium antea ex lege concessum et licitum. Quod optime quadrat cum assertione nostra per Concilium Tridentinum in materia peculii monastici non esse statutum ius novum, sed tantum confirmatum ius antiquum, ex quo peculium compatibile de lege licitum erat, incompatible vero a Benedicto XII expresse prohibitum nec ulla post ipsum sanctione pontificia concessum. Ad summum eatenus dici posset esse conditum ius novum, quatenus, quod antea ex consuetudine usitatum erat, per decretum Tridentinum expressis verbis abrogatum est. Quod autem auctores attinet, qui vel simpliciter vel probabilius ius novum statutum esse affirmant, relinquendi sunt, quia et indolis sessionis XXV nullam rationem habentes et constitutiones Benedicti XII ignorantes nunc ex ipsis verbis decreti suam sententiam defendunt, quod quam ineptum sit, modo ostendimus, nunc supponentes ante Concilium Tridentinum peculium incompatible omnino licitum fuisse „neque ullum existere ius scriptum, quo huiusmodi prohibitio iuris antiqui demonstratur,“²⁾ id quod falsum esse ex iis, quae ex Benedicto XII vidimus, satis elucet.

Deficientibus rationibus in ipso decreto fundatis, qui illo certe vel probabilius tenent esse prohibitum quodvis peculium, auctoritate saltem externa niti conantes, ad Suarez plerique

¹⁾ ibid.

²⁾ Wernz t. III. p. 704, nota 380.

antiquiores, ex recentibus Vermeersch¹⁾ et Piat,²⁾ provocant, cuius citant argumenta, quibus ipse demonstrat „Concilium novum aliquid praecepisse.“³⁾ Verum hinc tertium pro nostra sententia conficimus argumentum ostendentes illos auctores perperam omnino provocare ad Suarez.

Censet nempe Suarez, qui ante Concilium Tridentinum putat quodvis peculium dependens licitum fuisse, nostrum decretum etiam quoad bona mobilia prohibitionem continere, sed solum quoad bona mobilia superflua et sine causa concessa. Jamvero primo, id quod istos auctores omnino latet (nemo ex eis ipsa verba discutit, omnes solum locum allegant), Suarez peculium compatibile ex iusta causa et ad usus necessarios concessum decreto Tridentino concedit non adversari, secundo autem eius error, quod nempe prohibitio eiusmodi peculii ad superflua et absque rationabili causa concessi ius novum contineat, corrigitur eo, quod tale peculium etiam ante Concilium Tridentinum prohibitum erat secundum quod ex Benedicto XII novimus quodque Suarez non respexit. Audiatur iam ipse: „Quoad mobilia autem bona maxime habere potest locum nova et positiva prohibitio quantum ad tentionem et quasi thesaurizationem pecuniae; olim enim fortasse licere poterat religioso privatim apud se habere reconditam pecuniae quantitatem nomine conventus et cum licentia aliquo ex praedictis titulis concessa ob contingentes occasiones vel necessitates [locutus est enim num. praec. de bonis, quae non ad necessaria comparanda, sed „propter multa bona merita de religione, propter insignem eruditionem in favorem litterarum“ etc. concedebantur religiosis]; hoc ergo existimo nunc esse prohibitum ex vi huius decreti, quo religiosus prohibetur habere apud se bona etiam mobilia nomine conventus: nam intelligendum est de bonis mobilibus, quorum usu non indiget, qualis maxime est pecunia in futurum recondita; solum ergo poterit concedi illa, quae ad actualem et praesentaneum usum moraliter est necessaria, quod prudentis viri arbitrio relinquendum est.“⁴⁾

Ultimum deinde pro demonstranda nostra sententia argumentum tempora posteriora praevertentes ex constitutionibus pontificiis desumimus, quibus valor inesse videtur interpretationis decreti Concilii authenticae. Nimirum in iisdem constitutionibus Ordinis Minorum Conventualium Urbani VIII 1628, in quibus Pontifex provocans ad Concilium Tridentinum strictae paupertatis

1) t. I. p. 165 2 b.

2) t. I. p. 226 nota 3.

3) Suarez l. c. l. VIII. c. 14. n. 8.

4) l. c. n. 10.

inuleat observationem, peculium quoque concedit compatibile. Agens de paupertate in communi: „Ad extirpandum, inquit, proprietatis vitium Sacri Concilii Tridentini vestigiis inhaerentes, omnibus ordinis nostri fratribus districte prohibemus, ne quisquam eorum bona immobilia vel mobilia . . . tamquam propria aut etiam nomine conventus possideat vel teneat,¹⁾ ubi vero „de particularibus fratrum eleemosynis“ tractat, ita statuit: „Si quis vero fratrum industria et labore sive docendo sive concionando vel alio quovis modo, ex eleemosynis scilicet, ex parentum vel amicorum donis aut ex assignatis pensionibus quidquam comparaverit, illud tamquam proprium non retineat, sed ad simplicem usum . . . Religiosi itaque pecunias sic vel alio modo comparatas, si non de magna summa agitur, tradant expensori pro ordinario ipsorum usu; sed pro extraordinaria et notabili summa in communi aerario aut in deposito conventus asservandas fideliter tradant, ut inde extrahi possit pro eorum necessitatibus, quibus deficiente expensore et superiore annuente per seipsos occurrere poterunt, emendo sive libros utiles sive vestes decentes sive reliqua mobilia statui paupertatis convenientia, quorum omnium accuratum registrum iuxta decretum SS. Dni Papae Urbani VIII suis superioribus singulis annis exhibere teneantur.“²⁾ Et paulo infra: „Superiores autem etiam locales in iis praesertim conventibus, ubi desunt expensores, licentiam impertiri possint fratribus suis, ut servata forma aerarii et depositarii (sc. pro notabilibus expensis) pro minoribus et quotidianis expensis eam pecuniae quantitatem apud se retineant et per semetipsos expendant, quam ipsi in Domino habita ratione personae, temporis et loci necessariam esse iisdem fratribus iudicaverint.“³⁾

His verbis non potest non intelligi concessum esse peculium compatibile, de quo idem Pontifex paulo supra: „Usu, ait, generali nedum apud Minores Conventuales, sed et alios fere omnes religiosos, annuente etiam Sancta Apostolica sede, receptum est et sapienti oeconomia constitutum, ut singulis mensibus assignetur cuilibet religioso vestiarium seu modica pecuniae summa pro ipsius vestitu et aliis necessitatibus sublevandis.“⁴⁾ Si ergo non vis asserere Urbanum VIII iisdem constitutionibus sibi contradixisse, admittere debes hunc Pontificem ita decretum Concilii Tridentini intellexisse, ut ipso non sint prohibita peculia compatiblea. „Propterea“, ita Ballerini, qui unicus has constitutiones

1) Constitutiones Urbanae Ordinis Minorum Conventualium, auctoritate Pii VII Pont. Max. explanatae, ed. Adragna e Deprano. Mechliniae 1880, p. 87.

2) *ibid.* p. 102.

3) *ibid.* p. 103.

4) *ibid.* p. 101.

saltem commemorat, „cum Urbanus VIII eadem (pecunia) permisit monasterio Conventualium Romae in visitatione peracta 13 iul. 1617, non est dicendus dispensasse a lege Concilii,¹⁾ et quodsi 1851 Pius IX dicit potuisse mendicantes uti certa summa ex speciali facultate,²⁾ facta concessio est specialis facultas relate ad rigorem regulae, qua mendicantes ad strictissimam paupertatem servandam alias ac ceteri ordines adigebantur, non vero eo, quod aliquid permittat contra legem Tridentinam.

Pars quarta.

De peculio monastico post Concilium Tridentinum.

Caput VII.

De peculii consuetudine causali post Concilium Tridentinum.

Salutaria decreti Tridentini praecepta laeti paratique multorum religiosorum exceperunt animi, inchoatam ubique reformationem saeculis XVI et XVII gaudens videbat ecclesia. Efficacibus, qui intra ordines ipsos ad instaurandam disciplinam monasticam tendebant, conatibus obsecundare non desierunt concilia particularia. Iam 1565 ad mentem Concilii Tridentini Synodus Cameracensis cap. X statuit: „Rescindant insuper superiores et aboleant prorsus universa illa emolumenta et iura, quae antiquo more quibusdam monasteriorum officialibus concedi solebant, breviter omnis illa pecunia vel res, quam monachus vel monialis acquirere sive labore sive industria sive amicorum liberalitate, seu denique qualibet occasione possit, superiori mox tradatur, ita ut ad nutum eius tamquam res communis expendatur.“¹⁾ Eodem anno pari severitate Concilium Mediolanense I ad Concilium Tridentinum provocans monialium proscripsit proprietatem.²⁾ 1570 in Concilio Mechlinensi damnatae sunt pensiones vel redditus annui quicumque, pariter ingentes pecuniarum summae, quas officiales quovis obtinendo accumulabant: „Pensiones autem vitales aut redditus perpetuos nulli permittantur recipere. Neque liceat eis ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam corradere aut conservare, etiamsi in pios usus convertere velint, omnia in communes usus convertantur“³⁾ Ipsa Concilii Tridentini verba in Conventu Mediolanensi confirmata et inculcata fuerunt 1579:

¹⁾ IV. n. 116.

²⁾ Bizzarri, Collectanea in usum secretariae sacrae congregationis. Romae 1885, p. 832.

³⁾ Hartzheim VII. p. 116.

⁴⁾ Acta ecclesiae mediolanensis a S. Carolo condita, Federici Card. Borromaei archiepiscopi Mediolani iussu edita. Patavii 1754, p. 42.

⁵⁾ Hartzheim VII. p. 628 c. 1.

„Immobilia vel mobilia bona statim superiori tradantur conventuique incorporentur.“¹⁾ Synodus tandem dioeciesana Andomaren-
sis 1583 etiam peculium compatibile, quod iam modo illicito,
sc. sine causa et religiosis in monasterio degentibus ministrari
consuevit, prohibuit cap. VI statuens: „Victus et vestitus cetera-
que vitae necessaria aequaliter omnibus pro indigentiae unius-
cuiusque necessitate . . . ex communi monasterii thesauro ac
pecunia subministrantur, non pecuniis aestimata ac compensata,
sed ipsis rerum speciebus praesentia.“²⁾

Monens ergo et obsecrans matris ecclesiae vox non inaudita
evanuit, sed — id quod haec testimonia simul ostendunt —
neque fructus speratos produxit. Nam „quamvis haec ita se
habuerint a prima aetate post Tridentinum, deinde tamen sensim
sine sensu consuetudo penes non pauca monasteria invaluit, ut
peculia etiam secundi generis (sc. incompatibilia) habere religiosis
liceret, utique cum licentia superiorum, et ideo vita communis
ab illis prorsus exularet.“³⁾

Neque mirum, cum eadem, quae ante Concilium Tridentinum
perfectae vitae communis dissolutionem adduxerunt causae, etiam
post hoc Concilium non modo non cessaverint, sed adhuc auctae
sint. Perniciosissimam paupertati monasticae superiorum incuriam
exitabile secum tulit commendarum institutum, quod saeculo
XVI verticem attigerat⁴⁾ quodque, ut omissis aliis synodis par-
ticularibus solius Concilii Rotomagensis 1581 patres audiamus,
tamquam radix corrutae disciplinae monasticae a multis con-
siderabatur: „Foundationibus monasteriorum nihil magis adversatur
quam conventui monasteriorum laicos aut mulieres praeesse
ac pro abbatibus seu abbatissis se gerere atque etiam in iis
habitare.“⁵⁾ Deinde modo egestas, modo abundantia aequae ac
superiore aetate peculiorum usui egregie favebant. Religiosorum
numerum facultates coenobiorum longe excedentem semel atque
iterum Pontifices alicuique praesules ecclesiastici tamquam fontem
vitii proprietatis assignantes reprobant.⁶⁾ Prioratum forensium
Concilium Rotomagensis mentionem faciens non iam audet simpli-
citer prohibere hoc institutum, sed temporum rationem habens
necessitati connivet: „In his exequendis et reformandis prudentia
et mansuetudine opus est, ne frangamus potius quam corrigamus,
quae in pravum longa consuetudine induruerunt.“⁷⁾

¹⁾ Acta eccl. Med. p. 802.

²⁾ Hartzheim VII. p. 950.

³⁾ Ballerini IV. n. 117.

⁴⁾ Thomassinus l. c. p. 696.

⁵⁾ Odespun, Concilia novissima Galliae post Concilium Tridentinum
celebrata. Parisiis 1655, p. 199, n. 5.

⁶⁾ Pontificum bullas huc spectantes v. Ferraris, Prompta Bibliotheca,
5 ti. Bassani 1772, verb. Moniales, art. 2. n. 1—16.

⁷⁾ Odespun p. 260 n. 11.

Quod vero in hac epocha praeprimis respiciendum est, sunt tempora prorsus mutata, quae etiam in disciplina monastica ad spiritum aetati antetridentinae alienum offenderunt. Et si post medium saeculum XVII van Espen cum rigore iansenistico verba decreti Tridentinini contra quodvis peculium explicare ac defendere conatus est, eiusdem canonistae interpret in eunte saeculo XVIII tempora ordinationi ecclesiasticae fatetur illuisse scribens: „An ullibi tanto rigori locus superest? Quantum capio: nostrorum temporum usu observantia paupertatis religiosae magis ad modestiam discretioris frugalitatis quam ad angustiam humilioris egestatis recidisse videtur, nam et novo iure stationes et portiones monachorum ad exemplum tenuiorum beneficiorum censentur. Qui claustra incolunt, compertum habent ipsi, quam frequentibus numis privato religioso opus sit vel ad quasdam eleemosynas faciendas vel ad quaedam utensilia comparanda vel ad iter agendum vel ad utiles libros emendos vel ad solatium curandae valetudinis procurandum vel ad quoddam obsequium hinc et inde remunerandum et sexcenta alia, quorum minutas expensas ex massa communi desperare oporteret: adeo status et situs hodiernorum monasteriorum a veteribus desertis monachorum nimis remotus est, aut nostro saeculo aegre conciliari potest.“¹⁾

Talis cum iam ineunte saeculo XVIII fuerit monasteriorum condicio, nemo mirabitur, quod ortae post medium saeculum XVIII plorandae ex multiplici capite illuminationis quam vocabant pestis ulterius hac via progressa sit. Inimicissimus hic universae disciplinae religiosae spiritus neque claustrorum limina praeteriit, quinimo ultro in illa admissus est in exitium vitae communis, quae ex plerisque iam causis relaxata eo magis peculia inevitabilia reddidit, quo plures necessitates nunc ex officio pastoralis, nunc ex munere docendi et ex omnibus negotiis habere coeperunt monachi, quae extra monasteria vivere eoque magis saeculi consuetudinem eos habere cogebant. Unde facile intelligitur, quomodo hac aetate varia peculiorum genera in monasteriis in usu fuerint, quemadmodum testatur Fagnanus: „Contingit saepe, ut in aliquibus monasteriis tam virorum quam mulierum novitii in actu renunciationis bonorum ad favorem monasterii vel in actu professionis reservent sibi annuos redditus seu annum provisionem pro suis religiosis necessitatibus: et in aliis monasteriis item accidit frequenter, ut census annui seu bona stabilia relinquuntur monasterio etiam titulo institutionis a parentibus vel consanguineis alicuius regularis eo tenore adiecto, ut superiores concedere debeant eidem regulari administrationem dictorum

¹⁾ Oberhauser, Zegeri Bernardi Van-Espen Jus Ecclesiasticum, Augustae Vindelic. 1782, I. p. tit. 29. c. 10. n. 49. p. 340.

censuum seu bonorum stabilium, ita ut idem possit convertere illorum reditus in suos honestos usus. In aliis vero servatur, ut regulares pecunias ex praedicatione seu lectione aut aliunde quaesitas tribuant monasterio ad hoc, ut ex ea emanent census perpetui, quorum reditus quotannis assignari debent eidem regulari pro suis necessitatibus. In aliis denique usu receptum est, ut ex redditibus conventus unicuique ex fratribus vel sororibus assignetur singulis annis certa portio sive in pecunia sive in aliis speciebus, ad hoc ut ex ea paret sibi necessaria ad vitam, nec monasterium eis aliquid ultra praestare nec ipsi acceptationem reddere teneantur.¹⁾

Idem huius temporis spiritus, qui ab intus vitae communis eversionem imminere fecit, etiam ab extra disciplinae monasticae ruinam accelerabat, cum ubi gubernio civili potitus est, vi illud contra monasteria procedere iussit.²⁾ Quanta autem ruina moralis, quanta vitae religiosae desolatio monasteriorum spoliationes et regiminis politici oppressiones subsecutae sint si vis comperire, ad tempora Josephinismi advertere sufficet. Audiatur abbas Ossecensis Athanasius Bernardus, qui in laudata a congregatione conciliari et nominatissimis theologis epistola ad Patres Concilii Vaticani data de regimine Josephi II ita habet: „Die Aufklärung warf die Maske ab, bot den Bischöfen ihre sogenannten Rechte an, welche diese in echt österreichischer Gutmütigkeit pflichtmäßig annahmen; — und nun erfolgte die Verwüstung am heiligen Orte . . . Im Ökonomischen ward alles der k. k. Regierung unterstellt. Die Klosterrechnungen mußten der k. k. Buchhaltung gelegt werden; ja weil sich immer noch die gesuchten großen Reichtümer nicht zeigen wollten, ward sogar in mehreren Stiftern die „Pension“ eingeführt; so nannten dieses in der Geschichte einzige Experiment unsere alten Brüder, die dieses schauerliche Leben durchgemacht hatten. Diese Pension aber bestand darin. Der Abt des so gemäßregelten Stiftes ward als k. k. Administrator des Stiftsvermögens aufgestellt und mußte für Rechnung des Ärars die Wirtschaft führen. Für sich erhielt er 5000 fl. und für den numerus fixus der Brüder per Kopf 300 fl. Da ward natürlich die Klosterküche bald eine Art Traiterie, in welcher jeder nach seinem Geschmacke speiste; begreiflich, weil jeder Regulare eines so unglücklichen Hauses für sich sorgen mußte und Novizen gar nicht aufgenommen werden durften.“³⁾ Ex tristibus huius Josephinismi sequelis

¹⁾ III. p. 455.

²⁾ Heimbucher, Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche. Wissenschaftl. Handbibliothek, I Reihe XI Paderborn 1896. I. p. 164 ss

³⁾ Über die Lage und Bedürfnisse der Stifte der alten Orden in Österreich zur Zeit des vatikanischen Concils. Von † Athanasius Bernhard, Abt des Cistercienserstiftes Osseg in Böhmen. Archiv f. k. K. 61. (1889) p. 418 - 427.

monasteria Austriaca — haec enim praecipue attenduntur, cum in aliis regnis eadem magis simpliciter suppressa quam avari lucri causa oppressa fuerint — totum saeculum XIX plus minusve laborasse nemo negat, et hinc inde nostra quoque aetate talium monasterium religiosi et ab aliis audiunt et ipsi vident laborare.

Saeculum denique elapsum ob tempora prorsus mutata plura adhuc nactum est. Doctissimus, qui apud rigoristas non bene audit, Navarrus numquam fore putavit, ut sicut castitatis ita et paupertatis saltem sollemnis voti effectus suspenderetur „non quidem eo, quod putarem Papam id facere non posse, si aliqua iusta in id causa occurreret, sed quia nulla talis occurrere posse videatur.“¹⁾ Iamvero talem iustam causam saeculum XIX attulit profluentem ex plus minusve perfecta ecclesiae a republica separatione; ob peculiare siquidem difficultates, quae exsequendae theoriae canonicae obstabant in terris, in quibus legislatio politica vota religiosa vel nullo modo respexit vel a limine prohibuit, ecclesia coacta est, religiosos tantum ad professionem simplicem admittere vel declarare votum sollemne paupertatis aequè valere ac votum simplex, aliis verbis, coacta est sollemne paupertatis votum effectibus suis primariis privare, id quod infra videbimus.

(Conclusio in fasc. seq.)

Die kirchengeschichtlichen und zeitgeschichtlichen Arbeiten von P. Pius Bonifazius Gams O. S. B. im Zusammenhang gewürdigt.

Mit einer vollständigen Bibliographie seiner literarischen Tätigkeit.

Von Dr. Friedrich Lauchert in Aachen.

(Schluß zu Heft I. 1907, S. 53—71.)

Durch „kulturkämpferische“ Hetzartikel in der „Allgemeinen Zeitung“ (17. Oct. — 1. Nov. 1873) wurde die Abhandlung über „Die Klöster in Bayern“ veranlaßt (Historisch-politische Blätter, Bd. 72, 1873, S. 942—957; Bd. 73, 1874, S. 289—304), welche die Geschichte und den Bestand der Orden in Bayern seit der Wiederherstellung der Klöster unter Ludwig I. nach dem schändlichen Unrecht der Säkularisation kurz darstellt und dabei die Phrasen und Wünsche der Kirchenfeinde der Gegenwart entsprechend beleuchtet. Die Wiederherstellung einiger Klöster war zwar in dem bayerischen Kon-

¹⁾ l. c. n. 17.